

cuius temporis interstitium eius honores sedula inruptione adnihilavit, flammis maxima ex parte devastavit. Demum quoque, ut carcere solveretur, plurimo auri et argenti monasteriorum Aquitanici regni et maxime illius multitudinis redimitur; proximo post tempore, vita cum regno privatus. Huiusmodi ergo exitu vaticinium viri Dei Gauzlini evenit, Deique iusto equoque examine ad effectum usque cucurrit.

68. Stadium igitur bonorum currens operum, fecit, iuxta verba apostoli, ut omnibus omnia fieret. Aliquando quippe reminiscens unius fratrum a beato Gregorio ob culpam proprietatis nec in ipso vite articulo meruisse absolvi, postea vero XXX dierum oblatione nostrę redemptionis expiati, statuit, ut idem mos nostro servetur in loco pro singulis nostrae congregationis migrantibus ab huius mundi miseriis. Quod etiam ipsorum aliquantis ab hac luce subtractis manifesta aparitione exposcentibus, id aliquando duplicari paterna iussione precepit, ne quando bonus pastor de creditis sibi ovibus dispendium incurreret alicuius dampni.

69. Forensibus etiam remisit portaticum atque rotaticum nisi de plaustribus, que annonam vehunt, indignum esse iudicans, ut quos erueret ab adversariorum potestate ipse indigna opprimeret servitute. Quę insuper cum consensu omnium interdixit fratrū, atque transgressorem huius definitionis censura anathematis dampnavit.

70. Persistens itaque felix in assiduitate laboris, tanquam fidelis dispensator in ęterni patris familias domo, cum iam iamque se prenoscit<sup>1)</sup> vocari a Christo, non numquam serio quia verebatur, manifesto huius modi utebatur alloquio: 'Fratres', inquit, 'ac filii, iam eundum est hinc, praesertim ut, sicut gratia disponente omnipotentis, habilem domum vobis construxerim terrene inhabitationis, ita preveniens expediam celestis patriam palatii. Naec arbitror me hac pro certo frustrari spe, cum quidem nostrę servitutis obsequium, quamquam non adeo idoneum, erga affectum intemerate genetricis domini mei singularis profiteor fiduciae meę spei, unicusque post Deum<sup>2)</sup> advocati, sanctissimi Benedicti, superneque aulę ianitoris, pure exhibuerim voto devotionis'.

71. Interea causa extitit, quo diocesim placuit invisere Bituricensis sedis. Unde arripiens iter, primi metatum hospicii in quadam nostrarum possessionum videlicet Castellionis habuit, quo in loco, valido gutturis arreptus incommodo, paucorum dierum transacto spatio, acriori cepit angore infirmitatis vexari usque ad mortem. Iamque sese sentiens ad Christum vocari in criptam Dei genetricis se deferri precepit, in qua idea ipsius matris domini ex ligno honestissime arę supereminet insculpta,

1) Sic!    2) Hs.: domini.